

terias suo quodam consilio, ac negligi interea potissimam partem horum studiorum, quotidie autem urgerent me multi docti uiri, subiijante sex annos hunc laborem, cuius magnitudinem etsi animo utcunq; præmetiebar, tamen nunc ausim affirmare longè maiorem esse cuiusquam opinione. Et quod potuerim hunc immensum laborem tam diu sustinere, atq; institutum opus ad exitum tandem perducere, agnosco solius Dei beneficium esse, qui uires tum ingenij, tum corporis ad eam rem benigne nobis suppeditauit. Pro quo beneficio mecum alijs, quibus labor noster profuturus est, ipsi Deo fonti sapientiae ac uitæ grati esse debent.

Fortassis autem eximij artifices collatis inter se obseruationibus aliquid in motibus æqualibus deinceps limare poterunt, sed prosthaphæreseon tabulas iudico & retro & porro ad totam mundi durationem utiliter seruituras.

Ex his tabulis anni magnitudo adparens quouis tempore, & maxima ☉ obliquitas supputari potest. Id hæcenus desideratum est.

Eclipses luminum hinc certius prædici possunt, quàm ex prioribus tabulis.

Etiã retro supputari possunt tum motus omnium planetarum, tum uero Eclipses, ita ut calculus consentiat cum historia obseruationum, præsertim ea, quæ apud Ptolemæum extat, à qua Alphonsinus calculus interdum satis procul recedit.

Et in parallaxibus adieci prioribus septem Climatibus aliã item 7. loca uersus Boream, atq; omnem supputationem accommodaui ad mediã ☉ obliquitatem, quò rectius seruiãt Canones parallaxeon omnibus ætatibus.

Postremo has nostras tabulas spero aditum facturas plurimis ad fontes ipsos apud Ptolemæum, & Copernicum penitus intelligendos, & accendentur nostro labore aliorum studia, ut cogitent porro etiam de conseruatione huius artis, & emendatione motuum, præsertim æqualium, ut dixi.